

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Oratio de illustri gloria serenissimae atque Augustissimae domus Austriacae**

**Meyer, Nicolai von**

**Bremae, 1669**

[Text]

**urn:nbn:de:bsz:31-94906**



Atitant inaccessa profundo consilia divum  
pelago; scrutaris illa, metiris abyssum: at,  
quamvis inscrutabilia illa, quodammodo tamen  
in mundi creatione apparent. Quippe, cur sum-  
mus ille mundi architectus Deus T.O.M. mun-  
danam hanc machinam fabricare constituens, vas  
illud admirabile, unde vita, vigor, motus, su-  
peris, inferis corporibus omnibus, ceu specta-  
bile quoddam suae divinitatis veluti simulacrum,

opus verè Excelsi, Solem, inquam, inexhaustum illum lucis ac calo-  
ris fontem produxit? Cur nocturni hemisphaerii Reginam Principis-  
que sideris vicariam Lunam, profundae noctis solatium & micantium  
tot siderum ductricem in ultima caeli orbita constituit? Cur excelsò  
divini Numinis consilio Astrorum fulgor ad solem obscurus ac tan-  
quam lucifugus nocte & tenebris indiget, ut fulgeat? Cur Lunae cur  
stellarum formosa claritas maculis infuscatur, & praecleara formositas  
naevum habet? Cur in splendidissimis caeli atriiis stella differt à stella  
in claritate, atque in ipsa lucis patria caligat? Scilicet placuit alti-  
tudini sapientiae divinae, sub admirabili inter formosas caeli faces va-  
rietate, varias occultare virtutes & multiplices terris impertiri influ-  
entias, pariterque dirimere lites mortalium, cum diversam virtutis ac  
dignitatis fulgere cernunt gloriam illos praesertim, quos veluti fulgentia  
sidera in illustri Regnorum ac Principatuum sphaera rebus mortalium  
praefecit. Habet enim suos quoque coruscantes Luciferos, lucida sua  
sidera terrarum globus, nec minor admiratio veneratioque, si prin-  
cipes ac regnatrices Domus, quibus hic mundus regitur, considere-  
mus; quam cum nocte sublustri, caelum spectantes, non sine sua-  
vissima admiratione defixi, in contemplatione tot siderum astrorum-  
que summam fulgoris efficaciamque varietate inferiora haec illustrantium  
& regentium haeremus. Singularis namque majestas, dignitas, vis,  
in familiis & personis imperiosis effulget, Singulae En! auctorem &  
protectorem habent Deum, ex quo omnis veluti ex sublimi fonte fluit

A 2

Majestas,

Majestas, omnis vera glória, nec ornamentum modò existunt generis humani, sed ipsa publica salus in eorum salute versatur. Verùm enim verò, uti certæ cæli plagæ illustrioribus præ cæteris astris nitent, ita & diversa terræ climata clariori Principum jubare fulgent atque illustrantur. Hic Tu (quis neget?) cæteris palmam præripis GERMANIA, fœcunda jam ab ultima antiquitate Heroum genetrix & nûtrix generosa: genuina Ducum patria; Cujus Principes vix pubescentes tantas res perpetrarunt, quantas audire vix hominum, perficere nullorum nisi Germanorum fuit: cujus illustis sanguis exteris longè lateque Reges Principesque aut generavit, aut dedit nationibus. Decantet jam plenis buccis Heroës suos fabulosa Græcia, extollat Miltiadem, Themistoclem, Aristiden, Alcibiadem, Thrasylulum: at longè ipsorum gloria minor, si cum gloriosissimis *Germania* Ducibus comparentur. Dedit *Germania* ætatum omnium prodigia, dedit CAROLOS, OTTONES, HENRICOS, RUDOLPHOS, MAXIMILIANOS, FERDINANDOS, LEOPOLDOS, qui quicquid ullibi virtutis, quicquid virilitatis animo & nomine induerunt. Nolo hîc antiquitatum ultimarum reges advocare TUISCONEM, MANNUM, INGEVONEM, HERMIONEM, ISTÆVONEM, SUEVUM, MARSUM, VANDALUM, GAMBRIVUM, & decus Saxonum WITKINDUM, qui tot annorum centuriis post mortem etiam in posteris verè Magnus est. Splendidissima majorum imaginibus non indiget Germaniæ Majestas, lucida magis, quàm ut illustrari aliunde desideret, ejus est gloria. Ibi, inquit clarissimum Tubingensis Academiæ sidus, Imperator veluti Numen in cælis præsidet, cui assident quasi septem planetæ in Zodiaco Imperii statas officiorum periodos obeuntes Septemvirî, & undiquaque circumfident nobilissimi tot stellarum chori, tot Archiepiscopi & Episcopi, tot Archiduces & Duces, tot Principes & Comites, tot Proceres & Magnates. Quid in omni antiquitate hujuscemodi conventui est conferendum? Tu Amphyctionum fortè objicis confessum, superba Græcia? At vel unicus, crede, Germaniæ Princeps & antiquitate generis, & gloria virtutis, omnium Græciæ Principum famam, si non superat, tamen adæquat. Obstupetces, si vel in laudes *Serenissima ac Augustissimæ Domûs Austriacæ* descendam. Sed quæ oratio, quæ mens gentis tot sæculis & toto orbe maximæ amplitudinem & decus capere potest?

Quæ

Quæ sanè tanta sunt atque tam illustra, ut vel disertissimi Oratoris facundiam fatigare queant: quippe quæ omnes egressa terminos illud attingere culmen, quo nullum in rebus humanis sublimius est. Certè,

Micat inter omnes

*Astrium sidus*

Velut inter ignes

Luna minores.

Condonandum proinde erit audaciæ meæ, si angustissimi ingenii tenuitate *Augustum Austria splendorem* complecti satagam, & solem veluti depicturus carboæ, in patentissimum Austriacæ gloriæ campum balbutiens descendam. Quis enim in sole ambulans & penetrantibus ejus radiis illustratus non calefeat? Quis contemplatione fulgidissimi *Sideris Austriaci*, occultis veluti ignibus excitatus ad præconium ejus non efferveat? Cymba quidem in exiguo lacu tuto navigat, mare verò non sine periculo ingreditur, ast eadem secundis comitata Favoniis, profunda secat æquora, atque per infesta transtris maria volitans, non ignota petit littora. Mea quoque, *Auditores omnium ordinum Splendidissimi, Spectatissimi*, Zoilorum linguæ, reboantibus veluti ventorum flatibus, obnoxia orationis cymba jamjam portu solveret, si benevolentia vestra affulgerent sidera. Quid enim? Nauta suas habent, quas observant, stellas. Non itidem in publico dicentes suas? Nisi forte majus sit, ventis quàm ingenio vela dare, Tyrrenum aut Jonium, quàm dicendi æquor ingredi; infesta cautibus loca, quàm fastidiosa eruditorum judicia inoffenso cursu declinare? Quis inter hos judiciorum scopulos speret, cursum se posse tuto emetiri, nisi altum tenenti benignum sidus præluceat? Sed orationis meæ cymbam salvam esse spero, quia fulgente Benevolentia Vestra fidere

actus invidus livor

Et zoilorum turba cedit, ut nubes

Fugit corusci pulsa solis aspectu,

Ponti que sævientis atra tempestas,

Simul refulsit alba Stella Pollucis.

Altissimarum atque per immensa terrarum spatia longè lateque sese diffundentium flaminum initia scrutanti, obstructi passim occurrunt aditus; nec liquidi cuiquam elementi cunabula innotescunt, nisi purissimis stellantes aquis fontes lastraverit. Haud faciliora itinerum compendia ad gloriosam familiarum illustrium profapiam patere au-

tumo, ni vetustissima illa antiquitatis secreta, ex abyſſo tenebrarum ſolerti indagine eruta, in auguſtæ lucis Zodiaco conſpicua appareant.

Bonis itaque avibus faciam excuſſionem in grandem illam *Sere- niſſimorum ac Illuſtriſſimorum Austria Ducum Familiam*, in proavis & patribus viventium ac imperantium felicitatem indagaturus. Non autem orioſorum conjectorum deliria, & obſoletas gigantum fabel- las inani pompa retexere hîc habeo neceſſe. Deducant alii, quamdiu volent, ſui generis primordia ab Hercule, alii à Priamo, cæteri à fi- ſtis Deorum gentilium numinibus, qui propriæ laudis vacui, vetuſta- tis obſcuritatem, pro ſuæ originis claritate curioſè inquireunt.

Haud ignotum eſt, PHARAMUNDUM I. Potentiſſimum in Germa- nia Francorum Orientalium Regem deſtinatæ ſcepſtris & benedictæ Austriacorum ſtirpis authorem ac fontem eſſe, atque imperaturæ po- ſuiſſe fundamenta familiæ: fortunâ meridiano hujus laudatiſſimæ gen- tis ſplendori, hoc eſt, dignitati Imperatoriæ jam tum velut in aurora prælu- dente. Ex cæli quondam traduce cunas ſuas deducebar fabulo- ſa antiquitas, & neſcio quos Saturnos, Joves, Gradivos, generis ſui authores ſomniabat; ſed Auſtriaca Domus familiares Deos ſuos lon- gè veriori *Sombwoti* in cœlum inferre & laudatiſſimæ ſuæ ſtirpis pro- pagatores ſalutare poſſet. Quid de tot Regibus, quos orbis aliquan- do ſuſcepit in trabea, amavit in toga, formidavit in ſago, qui que vel naſcentis inter tot adverſa, vel adoleſcentis tot inter discrimina, vel ſervata tantas inter procellas Patriæ Patres exſtiterunt, ſentien- dum? Indignum eſſet ſine honore eos relinquere, qui æternam ſuis gloriam, orbi admirationem reliquerunt. Nominatim igitur tantos manes, quorum æternatura lumina meritorum etiã poſt funera o- culos merentur, ex oblivionis antro eduçtos ad Ampliſſimum hunc con- feſſum merito revocamus. Spectate, *Auditores*, Magni Phara- mundi Nepotem Clodionis filium MEROVÆUM: à quo ſucceſſo- res Reges, ejuſdem Regiæ gentis triginta Merovingi dicti ſunt con- tinua ſerie uſque ad CHILDERICUM ſtupidum: Quo in cœnobium detrufo, exſtinctum Merovingorum Regnum, ac totum ſub uno cucul- lo ſepultum. At quales fuere potentiſſimi illi Auſtraſiæ Reges? Ille THEODORICUS Merovæi Pronepos, Childerici Nepos, Clodo- væi filius, qui parente mortalitatis legibus ſoluto cum fratribus pater- nas partitus ditiones, Orientalem tractum à Moſa ad Rhenum excu- rrentem,

7  
rentem, suis regendum fascibus accepit, positaque Regia in Medio-  
matticibus inter Mosam & Mosellam, ab illa quidem Metensium, à  
situ verò sortitæ regionis Ostenriche, à Chronographis demum pro-  
nunciacionis vitio Austrasiæ Rex appellatus. Hic quoque se contuen-  
dum offert SIGEBERTUS, qui fratribus Brunichildis aviæ astu &  
æstu trucidatis ad Gennebaldum Theodorici delituit: à quo exule pro-  
genitus est SIGOPERTUS, qui ab arce vetustissima Havenspurgia-  
ca, non procul à Mosellæ fluminis ripa, ac Plimmariæ Therms in  
Leucorum & Sequanorum confinio sita, primus Habsburgensis Co-  
mitis nomen sortitus est, addito deinde ex magnis virtutibus cogno-  
mento *Continensis*: à quo denique per continuos successores ex Al-  
berto Sapiente ortus est ad orbis terrarum felicitatem RUDOL-  
PHUS I. nominis amplitudine, granditate potentia, immensitate  
felicitatis & sancta suorum successione verè Magnus; Austriaci Im-  
perii conditor, tantarum virtutum Heros, quantas in Austriacis Prin-  
cipibus suspexit orbis Christianus.

Solem dixisses alterum, è cuius liberali radiorum dispensatione,  
rotidem mundo velut oculi dati, quot coronæ ex Augustissima pro-  
genie effloruere. Fluvium credidisses egressum ab Austro, qui in va-  
ria dilapsus divergia nativi amnis ubique retinet decus ac ubertatem.  
Ita Austrasii Reges, ex Francorum Orientalium Regibus orti, per Ge-  
nerosos Comites Habsburgenses Austriæ Duces evaserunt; Austrasiã  
ferè dixerim in Austriam migrante, & providentiã Numinis consona  
nomina, non sine felicissimis auspiciis, in Augusta Gente consocian-  
te. Ecqua verò, *Auditores*, hodie in illustri orbis theatro gens est  
imaginibus ita potens, quæ vetustatis fascies non submittat lubens Au-  
striacis? Ecqua gloriosæ originis laude ita superbit, quæ proximum  
ab Austriacis locum tenere pro magnifico non ducat? Liceat cum Clau-  
diano exclamare:

Quis venerabilior sanguis, quæ major origo?  
Atque hæc est Nobilissimi & nulla fœce contaminati sanguinis Austria-  
ci, ex tot celeberrimis Europæi Orbis Herôibus derivati, quædam ru-  
dis adumbratio. Hæc sunt felicissima Serenissimæ Familiæ initia: quæ  
ubi in altum crevère, Francorum in Austrasiæ Regum cineribus glo-  
riam tumulavère. Scilicet ea fata familiarum Illustrium, ubi una ori-  
tur altera interit, purpureusque cadentis epilogus sereno præludit  
surgen-

surgentis exordio: una quæque verò suam periodum decurrit, ad salutem vel quandoque etiam ad pœnam mortalium, non secus ac sidera salutaria vel infesta, certis temporibus locisque oriuntur. Verùm enim verò, *Auditores*, quoniam tum demum firma nascitur felicitas, quando numerosa proles paludamentum fulcit Regium, lenitque funera parentis successor Filius, & quasi postliminio eundem ex umbris reducit in lucem gratæ apud posteros immortalitatis; etiam hinc Austriacis largi superi fortunatissimam illam haud negare visit sunt fecunditatem: quippe ex magno illo Austriadum Cæsarum Genearcha RUDOLPHO I. descendentes alii duodecim, qua Fratribus, qua Sororibus præfectus est ALBERTUS, veluti Sol in Zodiaco Austriaco, inter duodecim signa cœlestia terris imperans, Albertus ille Triumphator felici duodecim liberorum incremento Austriacam gentem propagavit. Ast FRIDERICUS, cui corporis animique venustas Pulchri nomen conciliavit, non prole quidem, sed Augusti nominis hæredem caruit; Unde post centum & amplius Austriacæ veluti viduitatis annos tumulatus olim cum Friderico Pulchro Austriacæ gloriæ Diespiter in ALBERTO Honorifico orbi revixit, & quam plus quàm à seculo Imperiali Horizonti negaverat absens lucem, eandem postliminio reduxit. Næ Tu ingrata eris, *Patria*, si redivivo noctem timentis Austriæ Phæbo, cui tot Imperiales debes Aquilas, æternaturos honores negaveris! At Vos, Austriacæ alaude, quid ad hæc accinitis Alberto? Numquid parum vobis videtur esse Cæsarem; & Regum Patrem & fecundum Augustæ stirpis propagatorem salutate. Tu denique, qui felicis oleæ germine commendatus posteris, FRIDERICE, non ultimus inter florentes sceptris Austriacos audis, Tibi Hereulem, Tibi Atlantem, Maximilianum & ex eo Carolum, nomine Quintum, at rerum gestarum gloria primum, qui ultra celebres illos Calpis & Abylæ ab Hereule positos limites Austriacæ magnitudinis famam provexit. Quid dicam de FERDINANDO I. Cæsare, cujus numerosa proles, quindecim capitibus surgens magnis nominibus annales Austriacos illustravit; à quo ad MAXIMILIANUM filium hæreditario quasi dicas jure transcriptus quindecim liberorum numerus? Quid loquar de FERDINANDO III. Cujus augusta soboles intra numerum Musarum constitit. Dii boni, quantus & prolis & gloriæ proventus! Quis non miretur surgentem in immensum Austriacæ sobolis arborem,

cur-

curvescentesque hinc inde Regiis & Imperatoriis scetibus ramos? Hinc sceptrata micant, illic diademata fulgent, hinc paludamenta radiant, illic trabes splendent, alibi Imperatorii fasces ramos opacant. Densantur omnia, Regum, Ducum, Imperatorum perpetua copia, ut recensentibus Austriacae familiae & genealogiae scriptoribus, XIV. Imperatores, VI. Reges Hispaniae, X. Hungariae, XII. Bohemiae, & unus electus Poloniae, omnes fortissimi & magnanimi Heroes, & felicissima illa stirpe pullularint; Ut dubitem, an aliud in orbe terrarum Regum genus majori sit Principum numero & serie fecundius & Regiarum gloria laudum illustrius. Jaacent se Antonini, jaacent longam Imperatoriae dignitatis profapiam Constantini; nulli tam longo ordine ad posteros videre diadema migrare, quam *Serenissimi Austriaci*. Parce verbo Invidia! Reges fiunt alibi, hic nascuntur, creantur apud alios, hic generantur; & quod mireris, non magis sanguinis quam Heroicae virtutis suffragatione: ita, ut quod miraculo simile alibi, hic per naturae modum videatur. Quam multum, inò ad raucedinem usque vociferatur naturae mysteriorum interpretes Plinius, dum stupendum eximiae felicitatis atque nobilitatis, uti ipsi quidem visum fuit, miraculum producit his ferè verbis: Una foeminarum in omni aevò Lampido Lacedaemonia refertur, quae Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit. Frivolum hoc & leve est, si cum Fortuna Austriaca conferatur. Longè Lacenam illam Lampidona superavit ELISABETHA, Casimiri Poloniae Regis uxor, quae inter fortissimas Austriaci stemmatis Heroinas locum ferè principem meruit: utpote non solum Casimiri Regis uxor, Alberti Caesaris filia & Ladislai Regis soror, sed etiam quatuor Regum mater, Johannis Alexandri, Alberti, Uladislai, Sigismundi, atque insuper Ludovici Hungariae & Bohemiae Regis avia. Imò verò de Lacena illa triumphat MARIA, Caroli V. Caesaris, multis titulis clarissima filia,

Quae genetrix, quae magni Caesaris uxor  
Terque beata soror, Magne Philippe, Tua.

Numerat tres continua serie Oratores antiquissima Curionum, Praedicat tres continuos magistratus Principes vetustissima Fabiorum familia; Rara quidem, attamen in numeroso Austriacae prosperitatis catalogo haud insueta humanae felicitatis exempla. Numa

B

Pompi-

Pompilio rerum Romæ potito ancile sive scutum breve undique re-  
cisum cælo delapsum memorant Historici, tumque consulto divinan-  
tis Egeriæ oraculo responsum fuisse, ibidem fore orbis Imperium,  
ubi illud custodiretur. Quale quidpiam etiam de Palladio Tro-  
jano proditum legimus: Non curarunt illa anilia ancilia fictaque Pal-  
ladis simulacra Austriacæ familiæ lumina. Augusta horum soboles  
Palladium fuit, numerosa proles invictum ancile. Felices coronæ!  
quæ nunquam cum Regibus cadunt, ne tam frequenti casu colli-  
dantur: Auspicata sceptrâ, quæ nunquam selectis destituuntur, ne  
aliquando in audacioris usurpatoris manus dilabantur. Sed nondum  
suam attingit metam fecunditas Austriaca. Nondum ille naturæ vi-  
vacioris vigor emareuit; sed etiamnum viget, vernat, viret & flo-  
ret in Magno Cæsare LEOPOLDO, cui singulari numinis indulgentia  
cum Imperio Felicitatem, cum felicitate conjungere perennita-  
tem contingat;

Rex ætheris illi

Imperium sine fine dabit, serosque videre  
Natorum natos claro diademate cinctos.

O Austriacos verè SemiDeos! O augustam gentem! O be-  
nedictam prosapiam! Adscribite, *Serenissimi Archiduces*, virtuti,  
adscribite fecunditati Vestræ, durabilem per tot secula gloriam, quæ  
se passim dilatavit per gesta magnifica, connubia splendida, & cel-  
sas cum plerisque Monarchis & Familiis Illustribus Europæ affinita-  
tes. Tingant alii sanguine purpuram; querant alii arroganti vio-  
lencia Regna ac Principatus; longè auspiciatori & verè amabiliviva,  
sibi dominationes acquirit *Gloriosa Austria*.

Nubens capis *Austria* Regna,

*Austria* Divorum semper amore potens.

Hinc tot Diademata, hinc tot Regna, tot Principatus; quæ  
amico fœdere sociata ac revincta non interruptâ copulâ in auspiciata  
illa Domo perennare gestiunt. Audiant hoc & exaudiant nati na-  
torum & qui nascentur ab illis, audiat universa posteritas, atque in  
annales relatum discat ac sæpissimè ruminetur, nunquam in unam  
stirpem tot sublimia Imperia, tot diademata & sceptrâ coisse,  
atque in hanc unam coiverunt, ut tellus pondere suo nutatura vi-  
deatur.

Ni foret Austriacæ gentis suffulta columnis,

Poren-

Potentissimi Castellæ, Legionis, Navarræ, Lusitanæ, Aragoniæ, Franciæ, Burgundiæ, Angliæ, Græciæ, Baviaræ, Bohemiæ Reges ac Principes è Serenissima Austriadum familia Heroicum sanguinem deducere gestiunt. Magnifica hæc sunt, *Auditoros*, sed longè erunt augustiora, si cella animi dona, quibus præpoller Augusta hæc Domus, si rerum gestarum gloria, qua mundo inelarescit, si denique ea omnia, quæ hominem in summo rerum culmine constituunt, suis momentis æstimentur.

Etenim cum omnis per se virtus ardua sit ac difficilis, tum imprimis iis, qui in apice Regnorum supra leges timoremque constituti facultatem impunè peccandi nanciscuntur. Cum deinde ea virtutum conspiratio ac societas sit, ut subsistere alia absque aliarum consortio nequeant, quis non miretur probos laudatosque Imperatores & omnium virtutum comitatu stipatos Principes, qui in opum affluentia luxum, in honorum illecebra arrogantiam, in delitiis voluptatem, in potentia Tyrannidem effugiant? Tales omninò Imperium Romanum desiderat, ut teneatur illud axioma ac sublimem illum gradum, quo supra reliqua omnia Regna supereminet. Tales verò esse *Serenissimos Austria Archiduces* merito prædicamus, in quibus ceu limpidissimo speculo gloriosa virtutum omnium idea elucet; sive placida togæ consilia agitent, sive ardua belli Imperia moderentur. Non ignorant Sacratissimi Principes, primam Regno imminere ruina, si in capite tanquam Regni arce deficiat virtus, & irrumpentibus velut per imbecille neglectumque propugnaaculum vitiis patefcat aditus. Cum probis sanctisque Imperatoribus steterit Imperia, cecidisse plerumque cum improbis, Principumque exemplis promiscuum vulgus ad virtutem vitiorumque consuetudinem rapi. Quibus cogitationibus inflammati Austriaci omnes virtutes studiosè complectuntur, quibus & suis imperare affectibus & subditorum vitam fortunisque tueri sapienter possint. Quas quidem virtutes non angustis hisce Europæ finibus, sed iisdem penè, quibus orbis continetur, regionibus, terminant, nec per aliqua tantum vitæ spatia, sed per omnem ætatis fortunæque cursum gloriosè constanterque deducunt. Hinc supremus Monarcharum Præses & cælestium Dux exercituum DEUS Zebaoth præfecisse illos excelso huic gloriæ theatro existimandus est, tanquam visibiles quosdam Deos & præfectos summi

Numinis, pro cuius Majestatis Tribunali & sanctissimæ sedis dicasterio, obedientiæ ac devotionis homagium præstat multitudo gentium longè latique dispersarum, quoties ab iplo sceptris destinata & benedicta Austriadum genti obtemperant. Hinc tot urbibus & provinciis, potentissimis Regnis & gentibus, ipsique Romano in tot futuras ætates Imperio providit cælum, dum benignis hisce sideribus tot orbis provincias ac validissimam ac verè Imperatricem Germanorum gentem Austriacis regendam commisit. Date veniam, Mundi Principes: Debetur hæc sive gratia, sive gloria Austriacis, ut uno capite plures ferre possint coronas, Miror hic à bicipiti *Imperiale Decus* fulciri Aquila, ubi vel una tantæ rei sufficiens invenitur. Nec frustra viguit Augusta Magnorum Austriadum Domus immoræ innixa virtutum basi, quatuor jam seculorum robore stabilita.

Non ideo quatuordecim Cæsares, & ex iis undecim nunquam interrupta serie numerat, ut sublata in altum novercantis fortunæ ludibrio exponatur, & in apice felicitatis constituta facili vento moveatur. Nescit cadere Diis æmula AUSTRIADUM virtus; nec ruinis exposita Illustrissimæ Familiæ felicitas, non lubrico inconstantia tabulo *Augusta Domus* structura innititur, sed profundius jacta sunt fundamenta, quàm ut ab invidiæ flatibus labefactari queant. Scilicet avita pietas est, avita virtus, fortitudo, justitia, clementia, bonitas ac moderatio in summa fortuna, quæ immotam servant *Austriacæ Domus* gloriam ac felicitatem. Sic Triumphatrix Pietas perpetuo felicitatis gaudet consortio, & indissolubili, prosperitatis copula revincitur. Floruit quoque, sed flore minùs durabili antiquorum Cæsarum Gloria. Animosus ad summum humanæ felicitatis culmen ascendit JULIUS, sed exanimis è Curia sanguine cruentus descendit. Evectus ad altissimam fastigiata potentia dignitatem OCTAVIUS; sed quid aliud, se iudice, quàm ut actâ feliciter Comcediâ plausum excitaret amicis. Divus quidem appellatus fuit TIBERIUS, at non nisi profunda simulatione conspicuus. Augustus appellatus fuit CALIGULA, sed caligine sempiterna dignissimus, quia lucem Romani Imperii suorum vitiorum tenebris obscuravit. Augustus fuit salutatus CLAUDIUS; at claudicavit eo imperante Romanum Imperium. Nomen Augusti, sed immeritò sibi vendicavit coronatum Romani Imperii monstrum NERO, qui Deo vindice aliè-

alienum sanguinem, quem siverat & hauerat, per sua vulnera regressit. Sic JULIA Imperatrix Progenies in sexto Successore defecit. FLAVIA VESPASIANORUM Prolapia floruit; sed in Filiis deflorata suspici defuit. Ceteri Imperatores, ferè singuli tantum regnarunt, pauci aut Filiis Imperium, aut Imperio Filios pepererunt, penè nullis avitum Imperium fuit. Flumina progressu crescunt; Magnatum stemmata sæpè in ortu deficiunt. Sed radicata est Bonorum felicitas, quæ uberiori semper gloria in beato seræ posteritatis vertice efflorescit, cui benedicit ille, per quem Reges regnant. Fortunati & prosperitate cælo contermina Gloriosi Austriaci Heroes, quibus constanter serena præluet dies, sole adhuc in altissimo veluti Leonis astro meridiante. Scilicet eminentes Principum laudatissimorum virtutes, quibus tanquam splendentibus astris præcunctis utriusque Indiæ gemmis & opulentæ Persidis gazis coruscant, viam fecèrè Divinæ benedictioni & mortales omnes in sui admirationem venerationemque traxere. Etenim quis Illustres AUSTRIÆ revolvens Annales non rapiatur in admirationem, cum tot splendida omnium virtutum documenta in Toga & Sago coruscantia stupente oculo animoque perspexerit? Jactent aliæ Domus Regnatrices Sapientiam, arrogant sibi aliæ Justitiam, Fortitudinem, Moderationem aliæ, Clementiam ac bonitatem aliæ; At omnes illas gradu eximio nata sceptris AUSTRIA hæreditario veluti jure sibi vendicat. Quis ignorat RUDOLPHI I. Prudentiam, liberalitatem, & cum fortitudine invicta stupendam Humanitatem? *Sinite, inquit, homines ad me venire, non enim ideò ad Imperium vocatus sum, ut in arcu la includar.* Quis FRIDERICO III. pacificus magis pariterque ab bella promptus? Quanta cum felicitate conjuncta Pietas ac mansuetudo MAXIMILIANI I. qui connubio lautissimas Belgii provincias & in Filio PHILIPPO eadem via Hispaniam, Siciliam, Neapolim, & utramque Indiam Austriæ conjunxit & forti prudenti; moderatione ad posteros transmisit. Quæ verò Tuis, Invictissime ac Bellicosissime CAROLE V., virtutibus par inveniri posset Oratio? qui in omnibus orbis partibus victricia circumtulisti arma & tandem reddita Germaniæ, reddita Ecclesiæ pace, pari animo Imperiale sceptrum deposuisti, quo sumpteras. Quis pacificum FERDINANDI fratris animum, quis moderationem aliasque Regias virtutes

rutes satis digno præconio ornaverit? Quis *MAXIMILIANI II.*  
 summam æquanimitem, pietatemque digno elogio decorare que-  
 at? Hic est, qui nullum peccatum gravius dixit, quam conscientis  
 velle dominari. Sed quis omnes omnium *AUSTRIACORUM* vir-  
 tutes, quis in consiliis prudentiam, in judiciis æquitatem, in moribus  
 humanitatem ac mansuetudinem, in victu temperantiam, in thoro  
 castitatem, in bello fortitudinem, in tota vita religionem pari Ora-  
 tionis cultu prosequi valeat? Hoc verbo dicam, nullam virtutem  
 esse, cujus non illustris quædam idea in *Serensissima Domo Austriaca*  
 existerit; quæ sola ferè hac gaudet prærogativa, quòd in tanta fe-  
 licitate, in tanta potestate rerum nullum unquam vitii dominatum  
 reliquerit. Quid memorem *FERDINANDORUM* munificentiam  
 eximiam? Quid *ALIORUM* frugalem sobrietatem? *RUDOL-  
 PHUS I.* bello Burgundico milites fame vexatos, suo, dum rapas  
 ex agris evullas toto spectante exercitu comederet, frugalitem ex-  
 emplo docuit. *FRIDERICUS* Pacificus, cum Eleonoræ Augu-  
 stæ vini usus, si mater esse vellet, à Medicis commendaretur, ma-  
 luit sterilem quàm vinosam conjugem. *CAROLUS V.* frugali  
 mensa, eruditissimorum hominum colloquiis atque ingenii  
 oblectamentis, magis quàm lautissimis ferculis & dulcissimis  
 gulæ illecebris instructa delectabatur, ubi minimè ferret Ap-  
 picii popina aut Vitellii patina, non è Mariotide aut Chio, ex  
 Campanis Falernisque jugis collecta operosè vina, non Phasianorum  
 cerebella, jecinora scarorum, Phœnicopterorum linguæ, muræna-  
 rum lactes, ab Orientis occidentisque oris conquisita, sed obvix sil-  
 varum feræ, fluminumque pisces, distinguebant fercula, necessitati non  
 delitiis instructa, suis etiam temporibus, modoque non importunis  
 horis mensurisque definita. *MAXIMILIANI II.* Imperatoris in vi-  
 ctu temperantiam sobrietatemque, cum imitari Nobiles Aulici non  
 possent, ubique saltem, sed non satis deprædicabant. Si in *FER-  
 DINANDO II.* spectemus temperantiam, Quis Imperatorum in  
 cibo potuque moderatior illo aut fuit aut esse debuit. Nemo in ipso  
 aut Austriacis *Galliens* unquam reprehendit ingluviem, qui triginta  
 regno imminentium Tyrannorum obsessus exercitibus, post crapulam  
 somnumque evigilans, de prandii lautitiis ministros sciscitabatur.  
 Nemo in illo prodigiosam *Heliogabali* vinolentiam obstupuit, qui non  
 tantum

tantum rosas inter unguentaque; vino stomachum, sed & piscinas complevit natationibus & balneis idoneas. Nemo luxum fœdamq; Neronis molliem, qui immani vivendi licentia, vicies ac septies mille festertium anno non toto absumsit. Sed facessant illa Romani Imperii probra, dum de optimis moderatissimisque Imperatoribus agimus! Nescit AUSTRIA scelera dominationis, nescit flagitia DOMUS. Frequens aula vitium Libido est; Sed & hoc cavent *Austriaci*, ne, qui in aliis commissa reprehendunt, committant reprehendenda, aut ne quam aliis delicti gratiam faciunt, ipsi expectent, quod vulgus suorum Principum vitis facile aduletur ac faveat, ut facilius in suo scelere impunitatem assequatur. Et sanè ut fœdior nœvus habetur, qui faciem occupavit, quam qui aliam corporis partem, ita gravius fœdusque Principis, qui Reipubl. facies quædam est, quam aliorum peccatum censetur; ad cuius fœditatem accedit pœna & seditionum flamma. Nescit enim irrita plebs parcere, nec discrimina lectus novit, Rex ille sit aut è populo, ubi conjugalis thori indignatio efferbuerit, non generi, non ætati, non Regibus parcitur. Alieno plerumque ferro alieni Thori libido compescitur. Pauci libidinosi sicca & sua morte jacent Reges, iisdem dolis delin, quibus alienæ pudicitia illuserunt. Gloriosis proinde *AUSTRIACIS* genialem thorum fidelissima custos Castitas ab omni impuritate servat immunem, præmiumque devictæ voluptatis est corporis mentisque integritas. Verbis fidem negatis, En! sparsa in orbis terræ memoriam sempiternam *Austriacæ* castitatis exempla. Aspiciat *MAXIMILIANUM I.* qui moriturus, ut mox sibi subligaculum indueretur, præcepit, ne videlicet ulla corporis pars, quam verecundia obvelat, à quoquam conspiceretur. Adeo nulla virgo tam teneri pudoris fuit, quam *Maximilianus*, etiam cum jam non esset. Ubi pudor ibi castitas; prostitutus pudor libidini januam aperit. Præluxit conjugali castimoniâ *ALBERTUS* Honorificus, nunquam ab ipso thori læsa fides. *CAROLUS V.* Imperator, florentis licet vegetiq; corporis æstum ab illicita sedulo voluptate continebat, neque sibi aut objectis sensuum illecebris pudicitia laudem auferri passus est. Semel in adolescentia perveritate Aulicorum seductus peccaverat, & quamvis egregium dedisset orbi Heroem *Johannem Austriacum* victoria apud Echinadas clarum, rara tamen cum Davide pœnitentia hunc

hunc lapsum expiavit. Cum iter per Galliam faceret, in arce quadam  
 nobilis & singulari venustate prædita virgo lectum Imperatoris occu-  
 paverat, quam *Carolus* vesperi trementem gementemque, ubi inve-  
 nit, intactam cum dote parentibus remisit. O inauditam castita-  
 tem! Quàm illustris illa in isto fastigio, quàm insolita in sublimi  
 ista fortuna! Sed hæ privatae magis virtutes sunt; quid dicam de il-  
 la, quam miratur Europa universa in sagacissima ac solertissima *Do-*  
*mo Austriaca*, exquisita suisque partibus absoluta prudentia, versute  
 ac versipelli hoc seculo apprimè necessaria? Certè deficiente hac virtute  
 anima gubernationis deficit; anchora quippe est & acus nautica Principi-  
 pis. Virtus est Imperantium propria & maximè facit excellere hominè,  
 adeoque parè illam natura dispensat. Multis magna dedit ingenia, ma-  
 gnâ prudentiam oppido paucis. Absq; illa, quò quis præ cæteris ma-  
 gis dignitate eminet, eò magis ad lapsum vergit præcipitatque Rempu-  
 blicam. Hæc verum Ariadnes filum est, quod texuit Ille, qui in  
 cælis pro populorum salute vigilat DEUS, in conservationem sibi  
 commendatissimæ *Domus Austriacæ*, & ipsorum manibus Principum  
 concedidit. Quis RUDOLPHO I. felicior? sed unde Felicitas?  
 quòd civilibus tumultibus concussa pristinae dignitati, paci, &  
 tranquillitati restituta GERMANIA; hoc cui debet, nisi Tuae, *Prin-*  
*ceps Moderatissime*, prudentiæ? Quid in theatrum producam AL-  
 BERTUM II. Quid qui *plus ultra* semper cogitabat CAROLUM  
 V. prudentia Senatorem, fortitudine centurionem, pietate judi-  
 cem? Quam Imperatori adnatam virtutem admirari solitus magnus *Soly-*  
*mannus*, & quotquot ipsi à consiliis. Nihil enim, quod adderent,  
 habebant, quoties ille sententiam dixisset, nihil quod demerent,  
 semperque quod discerent inveniebant. MATTHIAS nondum Im-  
 perator, sed Hungariæ Rex, à minimis quoque timendum judica-  
 bāt. Medicos nihil nociturum in ægro relinquere; neque quicquam  
 in hoste, quantumvis invalido, despici. FERDINANDI III. pruden-  
 tia in omnem sese vitam actionesque lati diffundebat, sive enim  
 domesticam disciplinam spectares, aulicorumque delectum, sive  
 Reipubl. administrationem; sapientiam in ea Procerum Legumque  
 sanctitatem; sive belli gerendi rationem Ducumque ac militum sele-  
 ctissimorum copiam, nihil erat, quod à summa *Ferdinandi* pruden-  
 tia admirationem ac laudem non haberet. Et sanè tot inter Impe-  
 ri

rio incumbentes procellas Europæ toti felicem prudentia sua pacis portum aperuit. Desecebant à Regia via consilia, reduxit sapientissimè: deficiebant à fiducia debita animi, reconciliavit sagacissimè: Ne dicam, quo consilio, qua magnanimitate intricatam illam belli diuturni, quod fovebant cives, trahebant exteri, telem ferro incidere; ut patesceret, non vires hæcenus defuisse *Austriacis*, sed Ducem ex victrici gente *Austriacorum*. Eadem hæc absolutæ specimina prudentiæ veluti in speculo intueri licet in Magno LEOPOLDO, cui totius assis Hæredi non Regna magis & Imperium, quàm virtutes Patriæ obvenere. Consilio & manu promptus, domi Cato, belli Annibal, docet Principes vivere subditis, Arte & Marte pugnare, Consilio & Industria triumphare. Ubi tamen vires animi rebus agendis impares agnoscit, mentem ille aliorum sensumque explorare nequaquam erubescit. Ut enim Sol in se lucidissimus, duodecim signorum lucem non aspernatur; ita & Hic duodecim signorum Zodiaci Senatuum observat, nunquam vel in publicum procedit sine Lucifero, vel recedit sine Hespero. Sic unum Regni caput, plures debent esse oculi, & dirigente capite stadium boni publici promovere. Habet igitur, quod veneretur *Germania in Austriacis*, singularem prudentiam: qua excubias agente facta recta stat Res publica *Germania*. Dii boni! Quântum una Domus Romano Imperio decus arrogavit? Quæ cruenta Gradivi arma in Reipublicæ interitum grassantia non exstinxit? quos Turcæ conatus non infregit? quas copias non attrivit? quam pervicaciam, quam audaciam non repressit? quam violentiam non stitit? quam Tyrannidem non sustulit? quam crudelitatem non calcavit? Quam sanè Majorum virtutem in se feliciter exprimit LEOPOLDUS I. Cæsar; ut eo vivente neque illa interiisse, neque illi obisse videri possint. Sed quid ego rudi eloquentia, INVICTIS-SIME CÆSAR, Tuum erga Imperium, cui præses, amorem delineare contendo. *Alexander Macedo* imaginem suam à vulgo artificum, adraminari vetuit, sed ut à solo Apelle pictus in coloribus, à solo Lysippo fictus sive ductus in ære & meliori metallo viveret, severissimè sanxit. Quis cætas LEOPOLDI virtutes digno colore exprimeret? Quis etiam consummatissimus orator Augustissimarum Laudum Tuarum, IMPERATOR GLORIOSIS-SIME, copiam adæquet? nedum ut dicendo illustret divinas illas dotes, quibus exuberans cæli

C

favor

favor Serenissimam Dōmum Austriacam veluti hæreditario jure beavit : quæ in ipso etiam subinde se ortu prodidere. Etenim quemadmodum sol per densas etiam nubes se exserit , ita natus ad excelsa animus suam ubique nobilitatem ostentat. Erudi etiam & nondum expurgata metallorum massa scintillat adamas & aurum resplendet, Leuculus simul ac lucem aspicit , suos explorat ungues, & Regium velut ostentans animum adhuc dum humentes colli jubar concutit & pugnae præludit. Lusus Principum pueriles , ad quos naturæ feruntur impetu maturiorum factorum signa sunt ac tanquam prognostica. Sanè tota à vere pendet ætas , à flore fructus , ab aurora dies , à tenera ætate gravior ætas æstimatur. Quàm larga sapientiæ affluentia RUDOLPHI I. pueritiam illustravit ? Quanta virtutum indicia magnæ indolis illustria argumenta in eo eluxerunt ? Futuram ejus Magnitudinem maturè Astrologi cujusdam in aula Friderici Imperatoris verba notarunt. Video , *inquit* , ô Cæsar , *Rudolphum* extinctis posteris Tuis rerum aliquando potiturum. Non id illi sidera monstrabant , sed siderum præfagio certior sublimis Indoles. MAXIMILIANI, I. Imperatoris bellicosum ingenium quot prænuncia signa ostenderunt. Video Inclitum Heroem non pueriles , sed viriles in arena tractare lusus , & æquales virtute & splendore anteire animadverto. Video cavo nitrosa tonitrua ciere ferro , & dispositis , quas belli usus requirit , machinis cum artificibus certare. CAROLUS V. cum esset octennis Mechlinam ad Lucam pictorem , ut coloribus delinearetur , deductus ; primis verò vix expressis lineamentis pueri circumvolantes oculi , vultum ad pictoris voluntatem non scitè admodum compositum reddebant. Quod animadvertens Hadrianus, morum præfectus, scopum ad vicinum perietem appendit , in quem oculos conjiciens puer dari sibi illum enixè flagitavit. Quis eum ad militiam armorumque tractationem natum esse dubitabit ? Splendissimus nostri Imperii Sol, LEOPOLDUS I. in ludicris æqualium certaminibus, nondum ephēbus laudem semper ac victoriam referebat , nemo rectiùs arcum tendebat , nemo scopum accuratius feriebat , in equum agili saltu insiliebat , omnique armorum genere promptissimè dimicabat. Tam felicia sunt *Austriacorum* Ingenia , & in ipso ætatis flore natum ad nobiliora , natum ad summa animum ostendunt. Ipse *Austriacorum* vultus plenus Majestatis congenitæ magnitudinis haud obscura , si

Aristo-

39

Aristoteli, si Physiognomis fides, documenta prodit. Et tali quidem omnes *Austriaci* venient, atque inscrutabili quodam naturæ arcano suorum quodammodo produnt animorum concordiam, gratam superis, utilem Europæ, bonis omnibus optabilem, hostibus pertimescendam, Austriacis ipsis necessariam, solis eorum inimicis exotam, sed nullis eorundem machinationibus dissolvendam. Norunt prudentissimi Principes, unamquamque Rempubl. esse veluti quoddam propugnaculum, quod tam diu est inexpugnabile, quam diu saxa inter se firmo nexu coherent. Concordia enim est quasi calx, quæ partes propugnaculi unit & conglutinat. Tolle calcem, lapides dilabentur, & corruet totum propugnaculum. Tolle concordiam, disfluent cives, & discordes hostibus prædæ erunt. Sciunt illi, concordiam esse veluti centrum, quo uniuntur inter se omnes lineæ circuli diametrales; Tolle centrum, omnes illæ disfluent; tolle concordiam, tota Familiæ, Regni, Imperii compages mox dissolvetur. Sapienter leges antiquorum Visigothorum; *Ex mansuetudine Principum*, inquit, *oboriur dispositio legum, ex dispositione legum institutio morum, ex institutione morum concordia civium, ex concordia civium triumphus de hostibus.* Aspice Posteritas par nobile Fratrum CAROLUM V. & FERDINANDUM I. quorum prior, cum in altissimo positus, ascendere plus ultra non posset, minui voluit, ut cresceret alter, æqualem volens in honoribus, cuius meritis se credebatur adæquari. Cor unum animamque eos habuisse quis neget, qui nec animo nec corpore, nec adversis nec prosperis separari potuerunt: quotidianâ experientiâ demonstrantes, quæ sibi negantur, incontinuo amoris admittenda esse indivisibilia. Non ignati nunquam majora zizania, quàm inter triticum, nullibi graviora crescere odia, quàm quæ in agro amoris seminantur. Quis non poterant se ipsos, toto in hostes converso odio, qui tunc maximè amantur, cum minimè amantur amici. Experta hoc malum fuitis huc usque sensit EUROPA, unde meritò intestinum morbum reformidat. Discite, vos nunquam degeneres *Posteri*, ut hostium gloriosi hostes sitis, amate amicos; ne odii veneno affectis domesticis colubrum in sinu foveatis! Hic ille hæcenus maximus morbus fuit, ex quo sæpe periculosè de cubebat *Europa*, malle exterioribus membris, quàm cordi parcere, hosti potius quàm suis indulgere.

Vix illustria illa sidera orbi lucem negabant, ecce, novi in Austriaeo cælo Tyndaridæ Fratres *Castor & Pollux* RUDOLPHUS & MATTHIAS. Bicipitem in hisce spectasses Aquilam, sed nunquam bicordem, usque ad eò in omnibus concordabant, æqua amborum felicitas & infelicitas, vita & mores, idem velle & idem nolle. Raræ in imperantibus virtutes, quorum disidiis scinditur miles, dividitur robur, enervantur vires, distrahantur arma, firmatur hostis, labefactantur Principes, prius lacerantur, quàm colligantur victoriæ; Importabile monstri pondus, plura capita in uno corpore, nisi ab eadem anima vegetentur. Et sanè quid potest esse discordia nocentius? quid magis exitiale? cujus textura sunt odia & similitates, cujus concentus sunt lamenta & ejulatus oppressorum, cujus comites sunt dolores & injuriæ, cujus effectus sunt violatæ leges, & conculcata justitia, extincta virtus & vitiorum inducta colluvies. Quid potest esse pestilentius discordia? quæ recreatur inter enses, deletatur depopulationibus, erigitur inter ruinas, exsultat inter vulnera, ridet inter angustias, triumphat inter cadavera, inter incendia ardentem vindictæ cupiditate animum refrigerat. Quid denique potest esse magis ferale & abominabile, quàm Discordia, quæ natat in miserorum lachrymis, implet vela navigii sui miserorum suspiriis, & gemitibus navigat in sanguine bellis intestinis effuso. Agite vos immensis quidem terrarum spatiis distincti, attamen concordibus votis & unione affectuum conspirantes AUSTRIACI, infinita Europæ arbitria, toto distinctas cælo terras Hispaniam Germaniæ jungendo ad seros nepotes & posterorum innumera serie consequentium posteros transmittite! O robusta *Domus*! O Herculeum Nomen *Austriadum*, ad cujus venerabilem mentionem Cerberos dentes expuit livor, frangit Taurina cornua arrogantia, demittit Leoninos animos superbia, & eventilatas semper auris infelicitibus jubas. Jactent se aliæ Illustres *Domus*, de singulis quibusdam, at AUSTRIA de omnium virtutum possessione sine vanitate gloriari potest. Quid memorem hîc ALBERTVM Victoriolum, RUDOLPHUM mitem, LEOPOLDUM gloriosum, OTTONEM jucundum, HENRICUM Placidum, ALBERTUM Sapientem, RUDOLPHUM Ingeniolum, ALBERTUM Patientem, FRIDERICUM Pulchrum, ERNESTUM Ferreum, ALBERTUM Ho-

nori-

norificum, FRIDERICUM Pacificum, MAXIMILIANUM Bellicoſum, CAROLUM Invicum, FERDINANDOS Pios, MAXIMILIANUM doctum, RUDOLPHUM Secundum, (qui cum Primo de præcedentia certat: Uterque enim primus & ſecundus fuit: nam Primus, dum Imperium condidit, felicitate ſecundus fuit; ſecundus, dum præſide & principe prudentia ſervavit, inter omnes Primas tenuit). Quid MATTHIAM Juſtum? qui inter Aquilonares turbines illasque ferrei ſeculi calamitates, in quo menſis omnis erat Martius, candidiſſimam Divorum terras relinquentem Aſtram ab exilio ad ſolum revocavit. Singula, quæ moraliſ Philoſophia continet, virtutum nomina, Auſtriaciſ eſſent applicanda & ſpeciatiſ referenda, niſi in LEOPOLDO I. Caſare junctim eluceſcerent. Enim verò quas in majoribus ſuis diſperſas reperit doctes, eas collegit, faciens collectarum epitomen, ut proſectò poſſimus non verè minus quàm magnificè dicere, ſuperiorum ætatum laudatiſſimos *Auſtriaciſ* ſanguinis Heroes, Pythagorica quodammo- do Metempsychoſi ac admirabili metamorphoſi in Auguſtiſſimum Caſarem LEOPOLDUM velut immigrafſe, atque in una illius, ſed magna anima magnas illas patiter, ſed iſiſ majores animas effectas eſſe: Unumque adèò LEOPOLDUM ſuorum Antecelſorum jacturam feciſſe orbi tolerabilem, dum eos in ſeipſo velut in compendio fecit redivos. Etenim ſi mentis ſublinitatem ſpectas, altiſſima *cedrus* eſt; Si prudentiam conſideras, *Aquila* eſt, quæ CONſILIO & INDUSTRIA veluti geminis aliſ ad ſummum gloriæ humanæ faſtigium emittitur. Si generoſitatem animi intueris Magnanimus *Leo* eſt, qui ad nullius pavebit occurſum; Si fortitudinem & victorioſa arma perpendis, quibus monſtra Ottomannica proſtravit, *Hercules* eſt; Si ſtudium boni publici amoremque ſubditorum reſpiciſ, *Pater Patria* eſt & ſalutare beneficumque Germaniæ *ſidus*. Liceat cum Poëta exclamare.

Ut LEO ſic pollet LEOPOLDUS fortibus auſis,

Interque Heroum Numina Nomen habet.

Macte Heros, priſca virtutum laude viſceſce,

Et refer Heroum fortia geſta Patrum.

Sapienter admodum Sereniſſimus Elector Bavarus MAXIMILIANUS (Principem in folio, lucernam in candelabro eodem munere

mere fungi ratus) in monitis paternis ad Serenissimum *Ferdinandum* Filium: Age, *inquit*, ut bonis præsibus, Tu ipse sis optimus; movet enim in Principe virtus, & valetudo, quæ à capite defluit, nervorum robora post se trahit. Rex velit honesta, nemo non eadem volet;

Componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.  
Scilicet in vulgus manant exempla Regentum,  
Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Quid loquar de jucunda politici corporis harmonia, quando à Principe, tanquam à fonte virtutum torrentes fluminaque in cæteros defluunt, rigandis nimirum longè lateque sæcundandisque popularium animis? Quid loquar de aurea honorum messe, quæ virtutum comitiva incedentes Principes manet? Hæc illa honoris cum virtute æmulatio, eodem gradu procedere, ne unquam à meritis præmia excedantur. Quod virtute non obtinetur, armis, vel vix acquiritur, vel vix diu tenetur; primus Regii roboris nervus virtus est;

primus ad solium gradus,

Compendiosa ad fauces via.  
Virtus repulsæ necia sordidæ  
Intaminatis fulget honoribus.

Semita certe

Tranquilla per virtutem patet unica vitæ;  
gloriaque virtutem tanquam umbra sequitur.

Et famam extendere factis

Est virtutis opus.

I pete carulea Jovis palatia *Heroum sedes AUSTRIA*, da nomen æternitatis matriculæ, & fortia Tuorum facta infer non perituris Famæ catalogis. Ehodum! CLIO, Heroum buccinatrix, non communi tuba venerandum, astrisque cognatum *Austriadum* nomen apud Antipodas evulga, sed solis trophæis triumphalibus explicæ, solis obeliseis, columnis, arcubus, æternis magnarum victoriarum testibus publica & extolle. Vult hoc pietas, postulat æquitas, jubent virtutes, mandat Heroica fortitudo. Finge Imperatorum fortissimorum imagines, qui neque adversarum rerum impetu facilè dejici

jici, neque secundarum afflatu intolenter efferi; neque formidine turpiter percelli, neque inopinatis eventibus turbari soleant: quos neque audacia temerarios neque abjectio timidos, neque ira impotentes, neque casus afflictos, neque mali diuturnitas inconstantes faciat. Finge tales; ego Austriacos virtutum illarum imagines vivasque similitudines exhibebo. Tanguntur quidem Generosissimi Principes, sed non franguntur; premuntur, sed non opprimuntur; oppugnantur, sed non expugnantur; impelluntur, sed de gradu dignitatis non depellantur. Meminimus Augustos Heroes, à fortuna sphaerica & invida, nonnunquam casos, sed nunquam laesos, nonnunquam ictos, sed nunquam victos; nonnunquam percussos, sed de statione virtutum nunquam excussos. Non ineptè quis dixerit, Austriacorum indolem esse persimilem aquilinæ, toner cœlum, mugiant nubes, elementa configant, aquila vultum non mutat, imbres & grandines, tempestates & fulmina ex alto sui secura despicit. Verum Aquila virtutis umbram, AUSTRIACI virtutum ipsa corpora exhibent. Nam ceteris rebus motis non commoveantur ipsi, mutatis non mutantur, turbatis non turbantur, concussis non concutuntur, contractis non confringuntur. Hinc non immeritò Augusta illorum nomina virtus ipsa gloriose æternitatis albo ad decus immortale inscripsit. Satisfacerem votis vestris, *Auditores*, si Martem in theatro gloriæ triumphantem vobis exhiberem. En Gradivum Austriacum RUDOLPHUM I. En Herculem, en Atlantem, cujus vertice vel humeris cœlum istud fulciatur! Militarunt in illo omnes, ipse in omnibus:

Miles ei corpus, quod tueretur, erat.

Non indigebat bellicis lituis miles, ubi suum in armis conspexit *Rudolphum*, cujus, etsi non audierit verba, spectavit facinora; cruento ferro pro classico usus, plus persuasit silentio, quam saepe ubi absente principe ad raucedinem usque vociferantur tubæ, sine armorum strepitu perstrepunt tympana, ignaviam militis stertente Duce increpantia. Maeste virtute esto Allemannorum pubes Martia. Pigeat non sequi ante volantem ad prælia *Rudolphum*, non dubita de victoria, quæ illi obviam progressa, Wittenbergico, Neoburgico, Palatino, Friburgensi, Badensi domitis in futuræ felicitatis pignus se videtur obligasse, quia nunquam pugnavit sine victoria. Inviti fortitudi-

titudinem Herois fatentur cum Octocaro Bohemi, ultrò reverentur  
 Germani. Dignus pluribus, quàm ferre posset, coronis! Par plu-  
 rium orbium ferendis oneribus Atlas! Sufficiens qui plures eodem  
 aspectu terrarum partes regeret mundi oculus, plurium eadem ma-  
 nu jugalium habenas siderum ageret Bootes! Sole paterno vix in fe-  
 ralem noctem lapsò novus Germanico celo ortus est Titan in AL-  
 BERTO I. ne nox aliqua serenissimos Imperio dies interrompe-  
 ret; sed plures quamvis ita sibi succederent soles, non nisi unam ta-  
 men continuatam diem facerent? Deum immortalem! Triumphator  
 Caesar, quæ Tibi incunabula & rudimenta, cum puer admodum  
 Bohemica Lauri gloriam Patris augeres, nomenque Augusti jam  
 tum merceris, cum ferociam superbiamque Bohemorum ex proximo  
 auditas magno terrore cohiberes, Moldamque & Albim admirationis  
 tuæ famâ compleres, cum orbem terrarum non pedum magis cele-  
 ritate, quàm celebritate laudum peragrates, apud eos semper major  
 & clarior, quibus serior contigisses? cum sinistra salutis signum,  
 dextra gladii bellatorem ferens, inque densissimas hostium cater-  
 vas irruens, ea ederes piæ fortitudinis specimina, ut parentem Au-  
 gustum ingentium facinorum spectatorem dignissimumque lau-  
 datorem haberes, Disjunctissimas terras adhuc teneris annis  
 Virili firmitate lustrasti, jam tum præmonente fortuna, ut  
 diu penitusque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. Quid  
 apud milites? quam admirationem, qua virtute comparasti?  
 Cum tecum in ediam, tecum ferrent sitim, cum in illa contra Adol-  
 phum Nassovicum expeditione militaribus turmis Imperatorium pul-  
 verem sudoremque misceres, nihil à cæteris, nisi valore & præstantia  
 differens; cum libero Marte nunc cominus tela vibrares, nunc vibra-  
 ta exciperes; alacer virtute militum, et lætus quoties aut cassidi tuæ  
 aut clypeo gravior ictus incideret? cum spectator moderatorque in-  
 euntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac si  
 quod durius accipienti videretur, ipse vibrares? Quid, cum sola-  
 tium fessis, agris opem ferres? Non Tibi moris Tua in te tento-  
 ria, nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori nisi post  
 omnes dare. Hac admiratione dignus Imperator inter Fabricios,  
 Scipiones, Camillos, ad æternum fama templum quadrigis albis e-  
 vectus properas, Expressiora Austracæ fortitudinis vestigia requiri-  
 tis?

tis? *FRIDERICUS* Pulcher Imperator unico facto, sed omnibus hostibus invidendo, animi sui fortitudinem testatus est. In pugna cum Ludovico Bavaro, quæ dubiæ alex primò fuit, antequam in hostium potestatem veniret, sua manu plures quàm quinquaginta confodit. An quisquam militum plures? Ad victoriam pauciores suffecissent. *ALBERTUM II.* nemo ex numero fortissimorum Heroum excluserit, alta illi indoles, animi fortitudo major erat. Nec expallescere nec formidare noverat, semper imperterritus. Fortes irritatæ Aquilæ impetus sensisset *Amurashes*, nisi fugitiva Solis adventum prævertisset Luna, nulloque telo laceffit solo terrore ac nomine tanti Principis exanimatus terga pavidus dedisset Barbarorum exercitus. Væ tibi *Senderovia!* nisi sanguinis profluvium ex peponum elu contractum, *Alberti* fatalia tempora accelerasset, tua cum incolis mœnia, inevitabili diluvio, sed sanguinolento involvisset. Extincto Alberto *FRIDERICUS IV.* emicuit, aded, ut multos vel in admirationem sui, vel invidiam etiam remotos traheret, vix regnare, jam pugnare coactus didicit sceptrum non diu sine ferro tenere. Quis enim aut sine adversario felix diu, aut Rex sine hoste fuit? sanè Regem esse, vel felicem sufficit ad hostilitatem. Eadem quippe feruntur & leguntur manu felicitas & invidia, corona & inimicitia, pessima Regiæ frugis ac fortunæ Zizania. *CAROLUM* ergo bellicosum ipsoque nominis elogio clarissimum Burgundiæ Regulum, malum nactus ab inferiori Germania vicinum, cum Novesium eripere tentaret, ab oppugnatione ferro repulit, bellum bello elidens. Ita nemo impunè laceffit æquitatem, pro qua si quando aliàs, hîc certè vindex pugnare debuit *DEUS*, ut tam potentem tot provinciarum Dominum, Pacificus triumpharet *Fridericus*. Personam Herois in theatro fortitudinis feliciter egit *MAXIMILIANUS I.* Cæsar, in cæcitate fortis, in-lubrica constans, in imbelli bellicolus. Dixisses illum parente Marte, Bellona matre natum, non cunis, sed clipeis Amazonum exceptum, non inter molles cantus, sed Martiales lituos, ad exitium & funera hostium, ad salutem & incolumitatem suorum educatum. Et ne totus in flore fructus esse videretur, crevit concepta in illos effectus spes, qui Maximilianum suis amabilem, formidabilem hostibus, amicis pretiosum, ominosum inimicis efficerent, sævissimo bello patriam vindicavit & ingentem Turcarum

D

collu-

colluuiem, Scythicis etiam copiis, & formidandis Romano Imperio Samothracum, Samogitiorum, Getarum, Gelonorumque populorum nominibus auctam, Imperii propugnacula, Carniolam, Styriam, Carinthiam inundantem, & igne ac ferro depopulantem repressit. Triumphato communi Christianitatis hoste, in Austria hostes conversus omnes vel fudit vel fugavit. Sic viso Maximiliano expavit totum sese post tumultum ad pacem componens *Belgium*: ipso audito contremuit, ad Guinectam Piccardiæ oppidum cæsus internecione *Gallus*: surgente cecidit *Egmondanus* Gelriæ Dux: Prodeunte fusi disparuere *Hungari*, profugere *Bohemi*; iniqua vindicante concussus *Philippus* Palatinus, Rhenanæ provinciæ & Vangionum Princeps: devastato pro Imperio pœnas dedere grassantes per Germaniam prædones, cæsi & suis ipsi sceleribus spoliati, flagitiorum pretio in triumphales Cæsaris manubias cedente. Pro violatis fœderibus percussa *Italia*, debellata *Venetia*, subactum *Mediolanum*, attritum *Patauium*, cum innumeris provinciis veluti triumphatus orbis. Admirantur sanè & laudent suum Macedones *Alexandrum*; suum jactent Romani *Cæsarem*; suum Afri *Annibalem* deprædicent, illorum extollant in castris milites, in pugna victoriam, in Regnis populisque subjugandis felicitatem; nemo tamen omnium est, qui ad *MAXIMILIANI* fortunam aspirare possit. Persas *Alexander* Indosque ubi vicisset, à suis ipse expugnatus vitiis, vita Regnisque turpiter excidit. Per Galliam Cæsar, per Hispaniam Italiamque victor arma circumtulera, sed dum Romanum denique Imperium invitæ magis quàm largienti fortunæ extorquet, sceptrum quidem manibus, sed jugulo ferrum exceperit, atque omnem ibi felicitatem terminavit, ubi auspicatus est *Maximilianus*. *Annibalem* verò quantis intervallis gloriæ relinquit? Una illa cum gente tot annis, tot præliis decertavit, Romanos, etsi superare & exuere arcibus ac propugnaculis per fortunam potuisset, virtus tamen illi ac prudentia defuit: ut fortuna neque satis uti posset, cum sciret; neque satis sciret, cum posset. Omnis illa Punici exercitus potentia, omnis fraudulentæ Ducis vafrities, omnis victoriarum spes & utilitas in Campani agri delitiis, non secus ac opulentissima in Oceano classis fluctibus hausta interiit. Quàm in *Maximiliano* dissimili exitu oranis absolvitur felicitas! Suas ille victorias non ad acquisitionem Regnorum contulit, sed

sed defensionem, sollicitus non quàm felix ipse Imperator, sed quàm fortunatum esset Imperium. Unde cum tanti Principis virtutibus fortuna obstare non posset, minùs verò etiam nocere; maluit clementer obsequi, quàm atrociter adversari. Sed video hìc prodeuntem in gloriæ Austriacæ campum CAROLUM V. Imperatorem gloriosissimum: Aurum, medius Fidius! pro atramento, adamas pro calamo, æternatura sumenda mihi essent pro columnis marmora, si Caroli pro dignitate memoriam transcribere moliret æternitati. Adeste ergo, socia Triumphorum cohors!, quotquot olim victoriarum Testes Carolo adfuistis, Hispania, Italia, Gallia, Hetruria, Germania, Belgium, Epyrus, Peloponnetus, Africa, Dalmatia, Bohemia, quin ipsa terrarum marisque Dominatrices Roma, Neapolis, Venetiæ, Carthago, Caroli gloriæ lauros vestras substernite, cui aliquando in Toga & sago admirabili non modò prunum in iussa poplitem, sed etiam coronatum lauro verticem submisistis. Meretur à te hunc honorem, ô Italia, cui non modò servatum contra Gallos Mediolanum, sed & Ticinum gloriæ tuæ debes Capitolium. Debetur à Te, Germania, hic illi Triumphus; qui te tibi restituit, dum Solymannum trecentis armatorum millibus instructum & victoriis Hungaricis elatum eo compulit, ut fugæ solatia quæserit, & cum æterno gentis suæ dedecore terga pavidè verterit, illasque manus effugerit, quas nulli hostium Duces impunè evadere. Vetus illi homagium negare non potes, Sicilia, cujus ultricibus manibus terga subjecisti. Debitum illi denegare obsequium non potes, Saxonia, cujus olim victoriis non trium annorum, ut CAROLI M. sed trium mensium spatio robur tuum calcandum, proh dolor! subdidisti. Non est, quod reverentiam recuses, Roma, cui te totam post dignas rebellionis pœnas victori mancipasti. Sola ferè tot inter honores elata Gallia contumacia gloriosum sine honore præteriret Carolum, ni victus captusque ad Papiam Franciscus quadraginta ipsius triumphis subscripsisset. Non suum deniq; reticet obsequium Africa, sed cum Muleasse, in solium reposito Rege, quod aut nulli, aut vix præstitit ulli, Tuncetanorum Dominum salutat. Sed quid ego arctis unius Orationis limitibus, quem tota ut caperet, frustra laboravit Europa, circumscribere contendo. Inaudita solius Caroli virtus est, quæ potentissimos Gallorum, Ger-

manorum, Maurorum, Turcarumque exercitus aut bellantes superavit aut fugavit tergiversantes. Inaudita solius *Caroli* virtus est, quæ ultra Albim, suo olim nomine Romanis formidatum, Aquilam & signa transtulit, gravissimumque bellum, ipso fortitudinis inaudita miraculo, consternatis hostibus, propè momento confecit. Solus *Carolus* quatuor factis in Galliam expeditionibus, sex in Hispaniam, septem in Italiam, novem in Germaniam, in Angliam binis, totidemque in Africam, submissisque pluribus in Indiam classibus terram omnem Oceanumque nominis sui gloria, armorum terrore, præliorum magnitudine, victoriarum numero, Regum Ducumque captivitate implevit. Hunc ante pugnam nemo timidum, in certamine nemo remissum, post prælium nemo victum elatumve conspexit. Solus *Carolus* victorias illustres quadraginta retulit, bella supra sexaginta ad optatum exitum deduxit, castella cepit innumera, urbes navesque ultra octingentas; nunquam acie victus, nunquam castris exutus. Hinc est, quod unum *Carolus* Germania Hispaniaque coluerit, Gallia & Africa horruerit, Asia & Anglia suspexerit; Italia inter spem metumque venerata sit, Antipodes etiam atque orbis objecti incolæ reveriti fuerint. Stent illæ ad extrema Oceani ostia Herculis columnæ tuo titulo superbæ, nec jam ampliùs veræ: *non plus ultra* adiecit *Carolus* orbi nostro, detraxit titulo, ac *plus ultra* ostendit: Herculeos illos gloriæ terminos profecutus est, & nullam hæcenus fortunam ac virtutem fuisse docuit, quam non majori ipse virtute ac felicitate superarit. In *FERDINANDO I.* quicquid fuit, Martium fuit, frons, oculi, vultus, robur, ingenium; & omnis, quam spirabat, Martialis anima, ne palam fieret, non potuit tegi. Ita magnis Heroum animis angusta nimis sedes pectus est, illud commune cum ignibus nacti, quod abscondi nequeant. Ferreum illi in adversis caput, ne cederet malis, sed contra audentior iret, pennatum in prosperis, velut semper altiùs ferretur, vel impulsis ab aura gloriæ pennis, ad velocitatem stimulatus, longiorum consiliorum tardiores partus prævolaret. In Hungaria nihil usque adèd arduum, quod vel intentatum vel invictum magnanimitas *FERDINANDI* pertransierit. Subactus Zapolya, personatus Hungariæ Rex, Transsylvaniæ Woywoda, Triumphata Hungarorum Buda sedes Regia. Fulminaturn potiùs, quam pugnaturn divina

vinâ vindice Nemese in Dacia, & bonæ stirpis laurea aliam germi-  
nante, inde reportata victoria manum dedit Turcicæ. Heus, Europæ  
vastator *Solymanne*, patet armis Tuis Austriacorum sedes *Vienna*,  
Occidentalis Imperii velut altera Roma. Invictissime, quid trepi-  
das? Potentissime, quid titubas? Pugnacissime, quorsum fugis?  
Hem Turcarum Xerxes, Milthiadem in Ferdinando, Græciam in  
Austria invenisti. Dii boni, tota illa Ottomannicæ Lunæ tempestas  
repressa omnisque auxiliariis Scythiæ, Ferdinandi potentia elusa bar-  
baries, ad sui Hellepontis fauces repulsa jacet. Maximi illius *MA-  
XIMILIANI II.* acta & fortitudinis trophæa, pauca, sed spectabi-  
lia, intuemini, *Auditores* Germaniæ Imperator insignitus, maluisset  
amabilis, quàm formidabilis imperare, rosas sine spinis quærens,  
at brevi tumultu nuper in Saxonia revixerunt inimicitia, novos  
tumultus faciente, impulsare Grumbachio Johanne Friderico Prin-  
cipe Vinariensi. At mox direpta Herbipolensi urbe se cum Grim-  
mensteinia arce perdidit. In Hungaria sopita cum Johanne Woi-  
woda incendia, flagrantes de novo scintillas emiseraunt, novum tu-  
mulum quærente filio, qui eodem claudi non poterat cum parente.  
Sed post amissa malè acquisita præsidia reliquit palmam Hungariæ,  
quam quia Sole Maximiliano favente amiserat, ad Thracicæ Lunæ  
faces confagit, hæc cum solis incendere radiantes currus incassum  
tentarent, admotæ Guila & Sigetho Bosphori jubar speciosum red-  
diderunt, funestum Hungariæ rogam, feralem Tyranno noctem,  
luctuosum Maximiliano Spectaculum exhibuerunt. Absterge tamen  
dignas dolore lachrymas restituta cum Vesprino Tatta, festivos su-  
me lituos fama & pro defensis contra totam Selymi potentiam soli-  
us Maximiliani præsentia, Jaurino & Comorromio, novos terris  
triumphos impera. Tantum potest vel inermis in hostem spectabi-  
lis in campo Majestas Principis! Par nobile fratrum Pilade & Ore-  
ste illustrius spectate, *Auditores*, in *RUDOLPHO & MATTHIA.*  
Prior Hungarico potens scepro, mox & Bohemicis fascibus insi-  
gnis, Imperialis quoque diadematis ambitum magnis meritorum  
passibus excedere debuit, ut triplici folio Augustus diceretur. Sed  
tantæ animæ tria Regna angusta nimis fuerunt, noluit ibi meridiem  
gloriæ agere, ubi orientem adspexit. Missis ergo quadraginta suo-  
rum millibus, exanimati totius Thracici corporis animam petiit, nec  
Croa-

Croatis tantum Dacisque imperare contentus, invictum robur in Hungariam superiorem & inferiorem vertens, venit, vidit, vicit; celeritate pro laborum compendio usus. Plerumque enim longorum consiliorum tarda molimina hostem roborant, non enervant. Citius quippe scintillas sopias quam incendia, facilius suppressas in herba malum, quam ubi in sylvam excrevit. Quis inter hos tumultus & armorum strepitus in folio tamen Imperatorem, quis in campo militem desideravit? Quis galeam deponentem; quis ferrum in manu dimittentem conspexit? amari interim maluit, quam timeri, nunquam ipse sagum induit, indignum credens Caesaris fortunam ad ultimum servandam primis periculis objici, & tamen Barbarorum terror auditus, Hungariae contra Mahumetem vindex, contra Tartaros formidabile tonitru, contra Ibrahimum fulmen, contra Botscajū Patriae Pater, Nimirum ad gloriam capitis sufficit, vel manum esse ferream, ad aestimandam vel remoti Solis Majestatem sufficiunt praeucentes nocti faeces; ad absentis lauream Principis invictus miles. Sola enim arma sunt militis, fortuna Imperatoris. Quid referam de Marte invicto MATTHIA? Quid ei (ô infelicia sub Barbaro jugo plangentia nomina!) Belgradum & Strigonium deberis? En Sinanem Comorromium spe devorantem, Imperii geminas (nobile pignus) aves refugientem. Fit lubrica & barbara lutulenta cruore, ad Albam Regalem terra, & una cum militibus urna clauduntur purpurati, castrorum supremi praefecti Murates & Mahumedes. Victoris iussa inaugurandorum Pannoniarum Regum sedes incluta secuta, contractis in dies annis, & triennali obsidione, quae debebatur munitissimae urbi, in triduanam commutata. Pro FERDINANDO II. Imperatore, fortuna & fortitudo, quam diu vixit, concertarunt, illa ut deprimeret, haec ut assereret. Quid memorem illas toto orbe celebratissimas victorias, quas *Ferdinandi* fortitudo reportavit? Rex salutatus à Bohemis potentes illorum spiritus confringere tentabat; sed insuetas jugo leonis cervices cohibere non licuit, quin fracto lupato acrius saeviret, lacerari facilior, quam cicurari, frangi promptior, quam flecti. Subsiste hinc, *Bohemia*, satis indulgisti dolori! Revertere ad Aquilas. Ledere scit, sanare non nescit Caesar. Sed frustra! Ad gladii res ardua delata arbitrium illum habuit exitum, quae comitans Austriacam causam fortuna desiderabat, & Bohemiae

Mas

Mars Austriacis reddidit. Vix posita lorica, jam clypeum relumere cogebatur. *Ferdinando* rebus Germanicis occupata Ostomannica tempestas insuper incubuit ut statem everteret; Aperto Erebo emissariae Furiae omnem ferè Orientem adversus illum accenderunt. Sed clausum non erat cœlum, non deerant illi fulmina, quibus se tutaretur in *Ferdinando*. Stetit itaque mole sua & rebellanti exundantium infidelium Oceano invictæ fortitudinis scopulum objecit, ad quem allisi reciprocantes aquarum vortices inani impetu insonuerunt. Inde *Ferdinandi Augusti* felicitas in Hungariam delata fuit, ubi *Gaborini*, quos meritis consequi non potuit, precibus Regno extorsit falces. Violentæ sunt plerumque, quas Populis Principes fundunt preces, maximè quas ambitio dicitur. Iniqua est electio, ubi vota fert metus, patrocinatur adulatio. Frustra inquieta fatigat ambitio ingenia, frustra ingeniosas cogit in comitia artes invidia, frustra livoris in obsequium arma conquirit furor, exacuit ferrum rabies, sollicitat Acheronta rebellio, ut solio exturbet Principem, quem DEUS imposuit. Mirum est, *Gaborium* tanto alterius malo non sapuisse. Sed rari alienis malis boni fiunt, qui sibi etiam in iisdem periculis semper feliciora pollicentur. Non terret sequentem inter eosdem fluctus naufraga puppis navitam, non feram à campo, non piscem ab cœca, non hostem ab armis suorum clades. Nec diuturna *Gaborio* potentia fuit. Jam enim non cohibebat lachrymas Hungaria, nec justum temperabat dolorem, deplorabat, quicquid *Ferdinando* amisso perdidit. Non omnis fascibus manus, non quivis diademati est aptus vertex. Victoriis igitur Cæsareanis fracto dejectoque *Bethlemio*, Regium cum paludamento nomen detraxit Mars Austriacus, deditis omnibus Cæsari, quæ in Hungariæ Regno obtinebat, ac si personatus tantùm Princeps in Amphitheatro mundano brevem fabulam sui populis spectatoribus dedisset. Quid memorem victoriosa ab invito *Ferdinando* in Germaniæ medullis commissa prælia? Quot hostes numeravit, tot victorias. Et tamen indignum ratus eadem manu sceptrum tractari & fulmina, eodem capite diadema gestari & galeam, inter arma semper pacis consilia agitavit: sed salutare hoc opus successoris filio FERDINANDO III. debebatur. Hujus quid memorem inconcussam Herculei pectoris fortitudinem, illam supra omnem mortalitatis turbinem elevatæ mentis magni-

magni-

magnitudinem illam in secunda fortuna moderationem, in adversa constantiam, in utraque victoriam. Agitabatur inter Aquilonias procellas *Ratisbona*, reduxit ad portum Ferdinandus, unde incautè sine gubernatore solverat, ostendens, quàm periculosum sit contra torrentem niti. Vix sparsas hinc ab hoste exuvias victor collegit miles, jam secundu[m] sese ad Nördlingam campus aperuit secundæ Cæsaris fortunæ, quæ eò magis favere visa est, quò majori discrimine, primam periclitari videbat felicitatem. Jactabatur hostiles inter turbines orbis, ultimum exitum impendebat *Austria*; devastatio *Bohemia*, desolatio *Franconia*, excidium *Bavaria*, exitium *Suevia*; eripuit, servavit, firmavit Ferdinandus, & hæc adeò celeriter & feliciter, ut certaret cum felicitate celeritas, victoriæ pugnas adæquarent. Quæ cum in Imperatore tanto singularia prorsus fuerint, ac talia, quæ paucorum hominum virtus ac felicitas sit assecuta, tum illo fortitudinis exemplo omne exemplum superasse existimandus est, quo felicitatem illam victoriarumque ad ipsius finem confluentium favorem, ita moderatè tulit, ut non mutato planè vultu plerarumque nuncium exciperet, neque alia fronte clades hostium, captivos duces, victricesque Romanorum aquilas, quàm calamitatem ac ruinam suorum intelligeret. Nunciabantur felices *Banirii* successus, videbatur coram, per instratam ad Ratisbonam Danubio glaciem, presentis animositas, deplorabantur ad Lipsiam & Jancaviam lectissimorum exercituum clades, Audiebantur subactò inter Austriæ viscera *Crembsio* & corn *Neoburgo*, *Dorstensonii* ad Istrum fulmina, observabatur miseranda *Pragensis* urbis facies, migrabat per dispersas orbis plagas direptus par Regno thesaurus, tot antiquitatum Romanarum monumentis refertus. Ipsa gentium commune perfugium & in deploratissimis rebus, salutis ara, *Vienna*, non uno terrore percussa trepidabat, concussa tot casibus tota in præceps inclinabat Austriacorum gloria, nisi Herculeis humeris tanto oneri unus *Ferdinandus* succollasset. Quid adhuc in amplissimo fortunæ armamentario calamitatis experimentum, quo invicta Ferdinandi constantia exerceatur? FERDINANDUS IV. pupilla orbis, delitium populorum, sffectus fesso Atlanti Hercules, novus occiduo soli Phaeton, spes prima & summa Augusti Parentis vix elatus ad solium, delatus ad tumulum; vix indutus trabè, exutus; vix positus ad candelabrum honoris, in ipso felicitatis

ris portu, calente adhuc tot plausuum fremitu naufragium patitur,  
 in flore ætatis emoritur. O intercisa Romani Imperii desideria, sub-  
 tracto immitibus fatis fulcro, cui tantæ molis portio incumberet.  
 Sed & ausa est fortuna nova recudere tela, quibus percuteret Ferdi-  
 nandum. *O Brisacum, Philippopolis, Sundgovia!* o calamitosa no-  
 mina, quorum casu concussa agonizabat, Animamque vix ser-  
 vabat AUSTRIACO. Unus tamen FERDINANDUS labantem O-  
 lympum ingentibus animis sustinebat, unus lacerato per procellas Im-  
 perii navigio, cum omnia Austriæ undiquaque naufragium minita-  
 rentur, unus inquam FERDINANDUS minanti interitum procellæ  
 insultare visus est. Fidem vix habebunt posteri; Triginta & quod ex-  
 cedit annis Germania non tantum in Domus Austriacæ convulsionem,  
 tanquam in sua viscera perpetua bellorum serie detonuit. Accessere  
 turbidis validissimi ex omni parte adversarii, & opibus animisque ad de-  
 cretoriam pugnam instructi. Terrarum orbis theatrum Germania fuit,  
 in luctuosam calamitatum tragediam, nisi Ferdinandus obstitisset, exi-  
 turum. Parum est, ad tantum sævientis Fortunæ impetum non luc-  
 cubuisse? Cæsaris virtute & amore quietis, incolumi Imperii  
 Majestate Pacis reductus est triumphus. Gubernatorem tempestas  
 sævo mari coorta declarat; Principem turbata bellis Respublica.  
 Secunda felices, adversa magnos probant. Tranquillo mari navi-  
 gare cujusvis est, concitato & naufragium minitante cordatorum.  
 Quem veterum cum FERDINANDO comparabo? Laudent Phoci-  
 ona suum Athenienses, laudent iidem Socratem; Catonem usque  
 ad fastidium ingerant Latini, & post Catonem, M. Brutus & C. Cas-  
 sius ultimi Romanorum à Cremutio vocentur, quod stimulante for-  
 titudine mortis allatrantis rictus & minacia guttura non horruerint  
 Hi tamen nec morte sua civibus fuere utiles, nec iis actoribus in Rei-  
 publ. viscera grassantia mala cum jucunda catastrophe desierunt. At  
*Ferdinandus* Inviçissimus, Rom: Imperii navim decumanis fluctibus  
 agitatam, vi hostili undique oppugnatam, rimis jam defetiscentem,  
 scopulis allisam, contra spem omnium haud turbata pulcherrimi  
 corporis symmetria in portum deduxit. Novum dicendi campum  
 ingrederer, *Auditores*, si in *LEOPOLDI I.* res gestas me diffun-  
 derem, vestra verò ne abutar patientia, ex immensa copia pauca  
 E sum-

summatim decerpam. Statim post excessum Augusti parentis, decus  
 Orbis LEOPOLDUS, intentus Paci, finiendi consilia belli suscepit,  
 inivit fœdera, conscripsit exercitus. Flagrabat incendio crudelis  
 belli totus Sarmatiæ tractus, vix precarium spiritum trahens, & u-  
 niuersum Aquilonem ignis ille corripuerat. Feceerat hoc ut timere-  
 mus, né ex vicino & miseris undique repleto Boreali celo malum  
 etiam ad vicinos serperet. Et jam videbatur in confinio suo laesurum  
 non ignobiles Germaniæ artus, cum se ad sinum Codanum protulisset,  
 qui procelli fera tempestate obrutus inundationem toti Septentri-  
 oni minitabatur. Nec ad Sarmatiæ classica domi delitescere tutum  
 videbatur, inclinante in lapsum Rege vicino, cognato, affine.  
 Emissâ igitur robusta in Poloniam & Cymbricam Chersonesum ve-  
 teranorum manu asseruit, huic spem, illi libertatem, utriq̃ue re-  
 stituit animos, vigorem, pacem & sui amorem timoremque no-  
 minis latè circumtulit. Adjecit insuper potentiae moderationem,  
 armorum rigori benignitatem, pacis studio fortitudinem, iustitiæ cle-  
 mentiam, prudentiæ liberalitatem, Consilio Industriam, Majestati  
 gratias, Austriaco nomini virtutum omnium ornatum. Jam parta  
 videbatur ubique tranquillitas. Mox Oriens LEOPOLDI Augusti,  
 Pii victoris gloriam obfuscare irrito conatu, laborabat impellendo  
 Ottomannicam gentem, ut lacefferet Hungariam, invaderet Daci-  
 am, popularetur Moraviam. Et jam ex Asia & Europa collecta Spa-  
 horum & Janizarorum non contemnenda agmina everrebant Hun-  
 norum terras. Percellebatur hic plusquam Panico timore omnis ferè  
 Germaniæ & Hungariæ tractus, & credebatur tanta barbarorum  
 multitudo totam inundatura Austriam. Sed mox discussit hanc timo-  
 ris nebulam Cæsaris virtus. Ille Barbaros, qui Aquilas Romanas spe  
 devoraverant, Lunas suas Aquilis cedere coegit. Ille dirigente *Consilio*  
 & adminiculante *Industria*, tum ad S. Götthardum, tum ad Leventzam,  
 per Legatos suos Ottomannicum Tyrannum viris viribusque non tam  
 potentem, quam impotenter elatum prostravit, atque mucrone forti-  
 tudinis Austriacæ cruenta lunatici sideris cornua infregit, sevissimum-  
 que hostem ad pacis consilia compulit. Scilicet Lunâ Superiore Sole. Sic  
 LEOPOLDVS stabilivit Imperium, re ipsa comprobans, verissimum esse,  
 se,

se, quod aliis astris cadentibus ne leviter quidem Oceano tingatur Au-  
 stralis polus. Certè sicuti conchæ calo genitore inter tonantia fulmi-  
 na suos pariunt uniones, ita *Domus Austriaca* inter circumstrepentia  
 undique arma preciosissimam Pacis margaritam progignit: etiam cum  
 de bello agitur pacifica. Sit instar omnium sacratissimus LEOPOL-  
 DUS, ille pacis & concordia tum conservandæ, ubi viget, tum pro-  
 curandæ, ubi deest, tam ardens & vehemens protector est, ut ad  
 illius nomen Augustum Mavors truculentus expavescat, vel triumphis  
 vel potiore triumpho pace subigendus. Latentur bellis alii suosque  
 fortium nomine condécorent Heroes, nos LEOPOLDOS orbi vo-  
 vemus Principes, qui nunquam in bella eant, nisi provocati, nulla  
 arma induant, nisi irritati, & ipsi Laureæ olivam super imponant.  
 Macte animis, Princeps Magne, non Romano tantum, sed Orbis Im-  
 perio dignissime, nulla te tacebit ætas, sed è posteris resurgens tua facta  
 illustria canet posteritas, & Echo laudum Tuarum in remotissimis orbis  
 objecti plagis resonabit. Sed offert se hoc loco justitia, offert se clementia  
*Austriacorum*, cum incomparabili, quæ hac gente complexa est pietate. Hæ  
 certè haud minorem laudis partem sibi vendicant, quam tulit For-  
 titudo. Sed vereor, *Auditoris*, ne pauca de hisce dicendo, veritatè; multa  
 verò uti merentur, vestram patientiam offendam. Certè annales con-  
 texendi essent, si illa, quæ justè, quæ clementer, quæ piè ac devotè  
 ab Austriacis gesta sunt, suppari Orationis cultu prosequi vellem, Hoc  
 saltem verbo dicam, quod inflexum extra pericula Aulæ, in Spirensi  
 Camera & supremo Dicasterio Imperiali, justitia cursum teneat: quod  
 jure, non ferro Principum terminandæ controversiæ; quod violen-  
 tiæ majoris non succumbat minor; quod discordantis Religionis in-  
 venta sit concordia; quod Halcyonia, quod Pax data Protestantibus,  
 quod novercalia inter eosdem repressa odia; *Maximilianorum*,  
*Rudolphorum*, *Ferdinandorum*, uno verbo *AUSTRIACORUM*, Divi-  
 num opus est, quodque iis etiam bonis pacificè fruimur, Magni *LE-*  
*OPOLDI* celestis labor & cura est. Sed quis omnes Augustissimæ  
 Domus prærogativas enumeret? Quis conspirantium in Austriacis  
 virtutum societatem, quæ etiam omne eloquentiæ subsidium supe-  
 rant, dignè satis deprædicet? Certè tam excellentes illæ & ex-  
 imiæ, ut quemadmodum inter mundi Regna eminent Imperium, ita

inter Celsissimos Nobilissima Germaniæ Principes excellat emineatque  
virtus *Austriacorum*, de quorum gloria cum longe plura dicenda re-  
stant, hac vice sic cum Poëta concludam.

*AUSTRIA* clara Domus, quam novit *Sarmata*, *Paribus*,  
*Memphis*, *Persis*, *Arabs*, *Babylon*, sacra culmina *Sine*,  
*AUSTRIA* clara Domus, quam tota *Britannia* honorat.  
*Styria*, *Pannonia*, *Ausonis*, *Nabatha*que regna.  
*Ethiopes*, *Indi*, quæ sit Domus *AUSTRIA*, norunt,  
Nec latet *Antipodum*, quæ sit Domus *AUSTRIA*, tractus.  
*Brachmanes* norunt, quæ sit Domus *AUSTRIA*, norunt  
*Menapii*, *Batavi*, debellatusque *Sicamber*,  
*AUSTRIA* signa *Cilix* cognoscit & ultima *Thule*,  
Qua rutilus medio diffunditur æquore *Cyber*,  
Orbeque semotæ resonant in fluctibus altis  
*Orchades*, *Arctoum*que ferens vaga succina littus.  
O verè famosa *Domus*, cui totus ab ortu  
Totus ad Occiduas mundus substernitur oras,  
Quam, qui novit, amat, qui non noverè, verentur,  
Cujus in auditu confusis vultibus hostes  
Tabeſcunt, contraque nihil se posse fatentur.

D I X I .